

LXXIII. Quod si instes: Nam si est exemplar, et finis; ergo præcedit Angelorum prædestinationem, sicut causa exemplaris, et finis,

LXXIV. Respondetur, quod exemplar, et finis, qui necessario, et per se est finis, et a quo pendet essentialiter finalis actus simpliciter, debet præcedere; quod autem solum est tale extrinsece, et ex voluntate Dei superveniente, sicut incarnatio Christi, sine qua, si Deus nolisset, posset totum negotium prædestinationis impleri, non absolute præcedit; sed secundum determinationem voluntatis Dei, scilicet respectu eorum, qui essentialiter dependent ab ipso, ut homines redimendi, simpliciter præcedit; respectu eorum, qui non sunt redimendi, non præcedit simpliciter.

LXXV. Quod explicatur secundo, quia Christus eo modo, quo est finis gloriæ Angelorum, et creaturarum naturalium, non absolute, et secundum se, sed ut aliquo modo ordinantur ad finem redemptionis, quatenus Angeli sunt ejus ministri, et prædestinati sunt non solum ad beatitudinem, sed etiam ad mysterium redemptionis in statu beatitudinis; et sub hac ratione prædestinatio Christi præcedit omnem prædestinationem, non autem absolute, et simpliciter, quantum ad substantiam.

LXXVI. In alia autem sententia, quod Christus veniret, etiam non peccante homine, et consequenter, quod Christus est prædestinatus ante omnem Angelorum prædestinationem, apparentius defenditur, quod eis meruit gratiam, et gloriam. Cæterum adhuc argumentum solvitur dicendo, quod licet Christus veniret absolute non peccante homine, tamen quia de facto Christi meritum prædestinatum est ut consummaretur per ejus mortem, quia solum prædestinata sunt merita

Christi pro hoc statu, non pro alio in quo veniret, inde est quod adhuc in illa sententia utrumque salvaretur, et quod Christus veniret homine non peccante, et tamen quod ejus meritum non est directum ad Angelos, quia decretatum est ut non moreretur pro Angelis, et sine morte, aut ordine ad mortem nemini meritum ejus applicatum est. Unde quantum ad hoc, eodem modo respondetur ad argumentum in utraque sententia: supposito enim quod meritum Christi non est consummatum, neque de facto directum ad aliquem, nisi per mortem, idem est quod Christus veniret, vel non veniret ex vi præsentis decreti, si ex vi illius de facto non meruit nisi respectu illorum, ad quos passio ipsius, et effusio sanguinis potest pervenire.

LXXVII. Ad secundam rationem respondetur Angelos habuisse fidem Christi ut redemptoris hominum, non sui, et ut consummantis merita per mortem, qua Angeli non indignerunt, et sic tendebant in Christum, ut in finem, et ut in redemptorem hominum cui destinabantur ut ministri, non ut redimendi, et sic non ad habendam gloriam per ipsum, sed ut ei subjicerentur in ministerio redemptionis. Atque ita fides Christi ut objecti, operabatur in eis, non tamen merita Christi ob defectum prædictæ conditionis, quia ipsi non includebantur in morte Christi, sine qua nullum meritum ejus consummabatur. Ex simili enim defectu Adamus in statu innocentiae non habuit gratiam per Christum, licet haberet fidem ejus ut consummatoris gloriæ; unde consequenter Angeli non habuerunt spem in Christum, tamquam in mediatorem, sed tamquam in finem, a quo erant consummandi, et honorandi secundum

accidentalia dona gratiæ: et licet Angelis fuerit revelatum mysterium redemptionis hominum, non tamen quod futurus esset Angelorum redemptor, et justificator Christus.

LXXVIII. Contra, est difficile argumentum, quia licet Angeli non sint justificati ex meritis Christi, tamen dum justificarentur habuerunt fidem Christi ut objecti revelati; ergo in decreto Dei sic justificantis jam intelligebatur prævisus Christus ut objectus, quia Deus non posset revelare Christum nisi prævidendo illum; ergo præcedebat prædestinatio Christi justificationem, et glorificationem Angelorum, si quidem si Deus prævidebat Christum quando illum revelabat, ex prædestinatione utique cognoscebat illum. Si ergo prædestinatio Christi præcessit prædestinationem Angelorum ruit tota doctrina hucusque tradita.

LXXIX. Nec dici potest, quod licet Christus prædestinatus sit post Angelorum prædestinationem, tamen in executione, quando Angeli de facto sunt justificati, habuerunt fidem de Christo ut objecto, quia jam in intentione præcesserat. Hoc non valet, quia executio prædestinationis divinæ non potest aliter fieri in re, quam fuerit decretata in mente divina. Si ergo intelligimus Angelos in mente divina justificados, antequam prævideretur Christus ut objectus, non potuit postea in re executioni mandari hæc justificatio aliter, nisi de novo mutaretur illud decretum, et decerneret Deus ex prævisione Christi justificare Angelos revelando illis Christum.

LXXX. Respondetur, quod prædestinatio Angelorum potest dupliciter considerari in mente divina, sicut status innocentiae, uno modo absolute, et solum quantum ad substantiam perfectam; alio modo secundum quod habuit aliquam habitudinem ad prædestinationem homi-

num, cum quibus futuri erant socii, et concives in gloria. Si primo modo consideretur prædestinatio, fuit totaliter completa, et perfecta in Angelis ante prævisionem Christi, et ejus prædestinationem, et in hac consideratione non intelligimus Angelos habuisse fidem Christi, etiam ut objecti, neque etiam Adam in statu innocentiae. Quia tamen prædestinatio Angelorum non sistebat in ipsa nuda substantia justificationis et glorificationis, sed adhuc intelligebatur, ut perfectibilis secundum accidentalia dona, respectu cujus dixit S. Thomas quæstione xxix supra relata: « Quod Angeli in ordine ad præmia accidentalia sunt adhuc viatores; » ideo pro hac parte prædestinatio Angelorum accidentaliter completa est per Christum: et quia quando sunt de facto justificati in re, illa justificatio non solum respiciebat substantiam gloriæ, sed habitudinem habebat ad accidentalia præmia, si quidem per gratiam reddebantur capaces illorum; ideo illa justificatio in re descendebat ab illo duplici decreto, et secundum considerationem unius non dependebat a Christo ut objecto, secundum aliam dependebat, unde justificati sunt per fidem Christi ut objecti, quasi concomitanter in illa justificatione concurrentis, non essentialiter, et per se. Et similiter in statu innocentiae, ut includebat aliquid reparandum per Christum, homo habuit revelationem Christi, licet non motivi, et causæ propter quam veniret, qui tamen absolute, et secundum suam substantiam consideratus Christum non cognosceret.

LXXXI. Ad ultimam rationem respondetur, quod licet Christus influat accidentalia dona Angelis, non tamen dicitur accidentaliter, et secundum quid caput eorum, sed simpliciter. Esse enim aliquid tale

simpliciter dicitur duobus modis, ut inquit S. Thomas infra quæst. LI, art. v: uno modo quod est simpliciter, id est, absolute, et sine diminutione tale, et hoc opponitur ei quod est tale secundum quid: alio modo dicitur simpliciter tale, id est, quod est omnibus modis tale. Christus ergo hoc secundo modo non est caput Angelorum, sicut hominum, ut etiam advertit S. Thomas hic articulo IV, sed primo modo est absolute, et simpliciter caput Angelorum, et non secundum quid, licet non influat eis essentialem vitam, sed accidentalem, quia perfectissime ei subordinantur Angeli. Quod sufficit ut sit eorum Dominus, et caput secundum exteriorem gubernationem, et interiorem influxum. Ratio autem capitis mystici absolute, et simpliciter non sumitur ex solo effectu, quem influit, sed ex subjectione, quam habent membra mystica ad ipsum. Hoc autem simpliciter invenitur in Angelis respectu Christi, quia simpliciter sunt ejus ministri, et subditi, ab ipsoque recipiunt influxum accidentalem.

LXXXII. Et quod hoc sufficiat ad constituendum simpliciter statum mysticum patet; tum, quia invenitur ratio capitis simpliciter sine ulla influenza, ut in principe respectu reipublicæ; tum, quia res-

pectu Angelorum salvantur illæ tres conditiones supra requisitæ ad rationem capitis, scilicet ordo, perfectio, et influxus, quia Christus est in ordine prior omnibus Angelis prioritate finis, et est perfectior in excellentissima gratia, et habet influxum in illos, tum secundum exteriorem gubernationem, tum secundum interiorem influentiam in accidentalibus donis. Influentem autem ipsam vitam essentialem gratiæ solum pertinet ad majorem perfectionem capitis; non ad ipsam substantialem rationem simpliciter, quia simpliciter salvantur conditiones prædictæ.

LXXXIII. Quod vero additur non ita perfecte salvari in hac sententia quomodo gratia Angelorum consummatur per Christum, respondetur optime salvari per hoc quod ab ipso recipit perfectionem accidentalem, sicut omnis substantia perficitur, et consummatur per accidentia; et secundum istas accidentales perfectiones gratia illa subicitur Christo, quia licet prædestinatio Angelorum quantum ad essentialia non sit per Christum, tamen quia etiam prædestinati sunt ut futuri ministri Christi, postquam essent beati, consequenter prædestinati sunt ut consummandi, et perficiendi accidentaliter per Christum.

QUÆSTIO IX.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI.

Cum supra quæstione septima proponeremus ordinem, quem S. Thomas observat in his quæstionibus, diximus, quod post explicationem mysterii incarnationis quantum ad substantiam, a quæstione septima incipit sanctus doctor agere de his, quæ simul assumpta sunt a Filio Dei in natura humana. Sic enim assumpsit naturam nostram, ut non assumeret eam nudam, et vacuam, sed ut evangelista testatur: *Plenum gratiæ et veritatis*: nec similiter ita glorificatam, ut in dispensatione temporis auferret passibilitatem carnis, sed plane ut Isaias cap. LIII loquitur: *Vidimus eum virum dolorum, et scientem infirmitatem*. Quem ordinem, quasi ex his duobus Scripturæ locis, S. Thomas theologice observavit, ut in coassumptis a Filio Dei in humana natura, prius ageret de perfectionibus assumptis, quæ explicantur illis duobus verbis gratiæ, et veritatis: deinde de defectibus, seu imperfectionibus ad opus redemptionis relictis in natura, quæ illis aliis duobus verbis explicantur, scilicet, dolore, et infirmitate.

Igitur hunc ordinem servans D. Thomas in tractatu de perfectionibus assumptis, prius egit de gratia animæ Christi duobus præcedentibus quæstionibus, et in præsentem incipit agere de veritate, id est de scientia, et cognitione animæ Christi. Et procedit tali ordine, quod prius agit de scientia in communi, et quoad an est, scilicet an fuerit in Christo scientia creata, et quæ scientiarum genera fuerint, quæ ad tria reducuntur, scilicet ad scientiam beatam, infusam supernaturalem, et naturalem acquisitam. Deinceps vero per tres sequentes quæstiones agit de singulis generibus istarum scientiarum, et de modo, quo fuerunt in Christo de earumque perfectione, et quidditate. Et sic quæstione duodecima terminat sanctus doctor tractatum de plenitudine gratiæ, et veritatis in anima Christi.

Quia vero simul cum ista, et veritate conjunctam habuit gloriam: *Quasi Unigeniti a Patre*, quæ maxime consistit in potestate, et virtute, qua: *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes* (nam ut bene notat magister Cabrera quæstione nona in commentario, articulo secundo), quando dicitur gloriam quasi Unigeniti, non significatur per ly gloriam beatitudo animæ, quam Apostoli non viderunt, et hæc in Ecclesia intelligitur in illo verbo: *Plenum veritate et gloria*; sed significat ibi excellentiam, et majestatem illius humanitatis, quæ maxime in potestate operante miracula effulgebat; ideo S. Thomas ad consummationem doctrinæ de perfectionibus animæ Christi agit quæstione decima tertia, de potentia animæ Christi, quæ maxime pertinet ad summam illam majestatem, et gloriam Unigeniti Filii Dei.

Deinde quæstione quarta decima et quinta agit de defectibus relictis in natura humana, qui explicantur illis verbis duobus, dolore et infirmitate: nam dolor, qui sensibilis est, generaliter pertinet ad defectus animæ, et virtutis, et sic agit de illis quæstione quarta decima. Infirmitas vero magis pertinet ad defectus animæ, et virtutis, et sic agit de illis quæ-